

## VMBRARUM NOX &amp; MILITIS FABULA

Eā nocte<sup>1</sup> in campīs, in silvīs, in vallibus, in montibus, in viīs, in antīquis villīs vacuīs umbrae ululant, Cūr hōc modō faciunt? Quia nox est. Nōn tantum nox, sed *umbrarum nox*.

Quae umbrae ululant? Num umbrae ululāre possunt? Nōn ululant umbrae quās sōl facit. Vmbrae quae ululant sunt aliae: umbrae quae errant sīne sōle, nigrae, īrātae. Neque solum ululant, sed etiam verba faciunt. Possuntne verba facere? Possunt: aliae canunt, aliae magnā vōce clāmant. Sed umbra est in viā Latīnā quae nōn cantat neque clāmat, sed plōrat. Cūr plōrat ea umbra? Vmbra viae Latīnae plōrat quia hominis umbra est. Quī vir? Audīte.

In viā Latīnā est Sergius, mīles Rōmānus, quī laetus Rōmā Tūsculum it. Necesse est mīlitem Tūsculum ire quod pulchra et bona amīca eum Tūsculī exspectat. Femina enim Sergium amat et ab eō amātur. Virum delectant amīcae oculī, labra, collum, corpus... Et illa eum Tūsculum vōcat.

Sol lūcet in caelō sine nubibus. Mīles, sōlus in via, gaudet et ridet. Via tamen longa est. Nullae arborēs sunt in campīs, nullae nūbēs in caelo. Procul magnam silvam videt. In silvā multae arborēs sunt et sub arboribus umbra. Vir tamen viam relinquere nōn vult.

Sergius lupōs procul audit et tacet. Vbi sunt lupī? Is putat lupōs esse inter arborēs silvae. Mīles etiam hominem post sē venire audit. Homō quem mīles audit nōn ambulat sed currit. Sergius, quī in sōle ambulat, fessus est quia arma gravia fert; itaque sē nōn vertit. Mīles est vir armātus: nullum hominem nullās ferās timet neque sē occultat. Sed homō ipse quī currit arma fert et nōn est sānus: malum caput habet. Currit īrātus, ad mīlitem adit et eum cultrō pulsat. Sergius perterritus ad terram cadit! Caput eius viam pulsat. Improbis vir eius sacculum capit.

Homō malus nōn consistit: dum mīles illīc in sōle iacet ab eō fugit. Sergius autem quiētus in viā iacet ut mortuus. Dē fronte eius ruber sanguis in viam fluit. Mīles sē movēre nōn potest. Caput dolet: sanguinem dē capite fluere sentit atque horret. Genae albae sunt ut līlia. Iam neque oculōs aperīre neque spīrāre potest. Cor nōn palpitat. Eō modō vitam relinquit. Sergius mortuus est!



Nigrae nūbēs adeunt et solem occultant. Lupī, quī iam prope sunt, accurrunt, ad mīlitem adeunt, dentēs ostendunt. Lupī nigrī sunt ut nox, eōrum dentēs albī ut margarītae, oculī rubrī ut gemmae. Ferae mīlitis sanguinem bibunt, ventrem aperiunt, corpus edunt. Viscera in terrā videntur! Sed, quid est? Ō deī bonī! Sergius stat! Sine metū in lupōs impetum facit et contrā eōs gladiō pugnat. Lupī mortuī sunt. Mīles adit ad lupōs... et eōrum corda ēst! Aliārum animālium corda reperīre vult. Satis nōn est.

Caput nōn dolet. Sanguis nōn fluit. Cor nōn palpitat. Vacuī sunt oculī, vacuae vēnae, vacuum pectus. Nōn sentit, nōn spīrat, nōn vīvit, sed stat. Ambulatne rursus? Ambulat sed vestīgia nōn facit. Est mortuus quī ambulat ut umbra.

Mīlitis umbra in viā Latīnā consistit et plōrat. Cur id facit? Quia adīre ad amīcam suam nōn potest. Necesse est eī cor reperīre. Etiam mortuus feminam amat. Tristis errat. Adit ad villās, adit ad silvās, Tūsculum non it. Irāta est umbra et cibum quaerit. Quem cibum? Nōn pānem, sed ferārum viscera... Aut hominum.

Nigrae avēs in nigrō caelō inter nūbēs nigrās volant. Animalia discēdunt ā viā; bestiae ferae quoque. Lupī procul ululant: "Vhuuu!" Hominēs quī audiunt lupōs ululāre, quī sentiunt mīlitis umbram plorāre metuunt. Timent. Horrent. Ostia claudunt. Sē occultant. Perterritī tacent.

Nox est. Vmbrarum nox. Iam necesse est puerōs dormīre. Hahahae!

<sup>1</sup> nox, noctis: *noche*